

ritorum seriem comple&timur. Solita qvidem est antiquitas Phœbum, artis medicæ conditorem, imberbem, & perpetua juventute virentem fingere. Non, qvod in juvenem medico majorem fiduciam collocaret; sed qvia deceat ipsum, artis suæ adminiculo, ad annos licet longissimè protractos, robur atqve vigorem suum præstare in columem. Verum est: longam artem brevis vita deſtituit. Itaqve qvi annos suos ad conſefſam mortalibus longævitatem extendit, artem suam aliis magis excolere videtur, qvi brevi cursu inchoatam vix iter abrumpere tenentur. Multis experimentis erudiatur neceſſe est, qvi futura poſſit ex præteritis prædicere. Experientiam enim principem in medicina locum obtinere qvis est qvi neget? Ab hac ars noſtra originem traxit, qvando, qvæ caſu profuerunt, in templis notata remedia, alii in ſimili morborum genere adhibuerunt. Per hanc nova qvotidie incremen- ta ſumit. Plura enim remedia per experientiam, pauca per rationem primò innotuerunt: ſed qvæ ſuppeditat illa, hæc tantum applicat & ordinat. Absit igitur nos in WELSCHII noſtri funere, prout in aliis, qvi ſene-ctute finiuntur, ex ipta neceſſitate ſolatium capere. Imò potius eò magis dolorem noſtrum exulcerat, qvod medici ſenis jacturam fecimus, ſi jactura vocanda eſt tanta viri amißio. Juventutis in eo alacritatem nec diurna, nec nocturna ſtudia; nec ad Italos, Gallos, Anglos, Belgas eruditionis perficiendæ gratia fuſcep- tæ peregrinationes; nulli item, etiam improbifſimi, inter belli injurias exantlati labores frangere potuerunt. Qvin potius eandem in exeqvendis functionibus ſuis ad ultimam usqve ſenectutem comprobavit. Hinc qvos fedulò juvenis collegerat, eos liberaliſſimè publi-

0311